



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 9. Quomodo intelligendum, quòd melius sit excedere in misericordia,
quàm in rigore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

§. IX.

Quomodo intelligendum, quòd melius sit excedere in misericordia, quàm in rigore.

QUOD itaque Auctor subjungit: *deinde etsi erramus modicam pænitentiam imponentes: nonne melius est propter misericordiam rationem dare, quàm propter crudelitatem?* Modicam pænitentiam intelligo, quâ severior illius temporis rigor non nihil remitteretur, & illi vehementissimæ molestiæ humiliationis cordis, contritionis spiritûs, & tribulationis pænitiæ, sine qua tunc mortalia peccata non relaxari solita ex Augustino cognovimus, aliquid detraheretur; cujusmodi modica pænitentia hodie grandis foret, & maxima, ut proinde levissimæ illæ de quibus nunc agitur, pænitiæ, his ejus verbis censeari nequeant confirmari.

Insuper melius est propter misericordiam rationem dare, quàm propter crudelitatem, nempè nisi illa quæ dicitur misericordia plus sæviat quàm crudelitas: ut enim segnes natos facit indulgentia matrum, ita tepidus fit pænitens, cui nimium parcitur, & plurimi à peccandi consuetudine sese vel conservassent, vel

emendassent, nisi illâ, quam dicunt, benignâ misericordiâ, eis semper fuisset indultum. Confessariis Patris nomen à pœnitente tribuitur; propter quod ut Patres sese ei exhibeant; sed noverint dictum: *Qui parcit virga odit filium suum, qui autem diligit illum instanter erudit.* Certè plus arguitur medici misericordia dum vulnera, quæ manu parcente contractat, non curat, sed exaggerat, quàm ejus immitis severitas, quæ dum non parcit, sanat.

Subjungit denique: *Vbi enim Paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax: si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.* Paterfamilias largus est, quia non solum peccata donat, & debitam illis æternam pœnam per mortem filii sui misericorditer remittit, sed & temporali, quæ ejus exigente justitiâ persolvi debet, pœnâ nondum completâ pœnitentem in gratiam suscipit: permittit quoque non omnem rigorem à Confessario erga pœnitentem servari; ac per hoc dispensator non debet esse tenax, ut hujus infirmitati nihil velit condescendere; sic tamen Deus benignus est, ut simul sit justus, & sicut ex ejus
miseri-

miseriordia est quòd hìc possit nonnihil pæniten-
ti condescendi, ita justitia exigit
ut non ex toto pæna relaxetur. Propter
quod immisericors non est Sacerdotis au-
steritas, dum utrumque attendit; mise-
ricordiam, ut pænitentium imbecillitati
noverit compati; justitiam, ut præteri-
tas offensas ab ipsis voluntariâ fatagat ca-
stigatione puniri, præsertim quantum &
cavendi relapsus exigit cautio, & ratio
sanandæ eorum infirmitatis.

Hæc duo justitia & misericordia, om-
nibus quidem Rectoribus, speciatim ta-
men necessariæ sunt Confessariis: *Quia Comm. in 1.
primum sine secundo, ait S. Thomas, est seve- epist. ad
ritas, secundum sine primo est remissio. Et an- Tim. cap. 6.
te ipsum Gregorius: Disciplina, inquit, Lect. 2.
vel misericordia multum destituitur, si una sine L. 20. mor.
altera teneatur: sed circa subditos suos, inesse cap. 6.
Rectoribus debet, & justè consolans misericor-
diâ, & piè sevens disciplinâ. Hinc est quòd
semivivi illius vulneribus, qui à Samaritano in
stabulum ductus est, & vinum adhibetur, &
oleum: ut per vinum mordeantur vulnera, per
oleum foveantur: quatenus unusquisque qui sa-
nandis vulneribus præest, in vino morsum distri-
ctionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; per
vinum mudentur putrida, per oleum sanan-
da foveantur: miscenda est ergo lenitas cum se-*

262 C O N V E R S I O
veritate , faciendumquè quoddam ex utraque
temperamentum : ut neque multâ asperitate ex-
ulcerentur subditi , neque nimia benignitate
solvantur.

Ad majorem Dei gloriam.



INDEX